

QUÆSTIONES MORALES

RT REV. MGR PROF. C. BONNICI, B.L.CAN., D.D.

CASUS MORALIS PRIMUS

Omnia parata erant ad nuptias. Camillus, vir timoratus, ad Joannem Parochum accessit, dum hic stola iam indutus procedebat ad altare ut matrimonium Titii cum Sempronia benediceret; accessit et ad aurem submissa voce dixit cum iuramento impedimentum ligamini obstare matrimonio, quia Titius valide et legitime conjunctis iam erat cum Lucia, adhuc vivente et derelicta in regione longinqua, ipso teste de veritate rei. "Quare nunc tantum venis ad exponendum mihi hoc impedimentum?" dixit ei Parochus. "Quia nunc cognovi praeter meam expectationem hanc malitiam Titii, et non potens talem dolum sustinere, veni festinanter revelare hoc impedimentum". Commotio magna evenit in Ecclesia, quando Parochus noluit obstinate procedere ad illam caeremoniam nuptialem.

QUAERITUR:

Primo: Impedimentum ligaminis potestne aliqua ratione dispensari?

Secundo: "Testis unus, testis nullus", estne admittendum in casu nostro?

Tertio: Potuitne parochus dissimulare benedictionem nuptialem, et postea privato modo declarare invalidum esse contractum?

Quarto: Quid iudicas tu de modo agendi parochi in perplexitate hujus casus?

RESPONDEO AD PRIMUM:

Impedimentum ligaminis seu vinculi consistit in eo quod conjux inhabilis est ad novum matrimonium ineundum durante vinculo prioris; ergo est ipsum vinculum prioris matrimonii, sive consummati sive non consummati, quo unus conjux alteri ligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio matrimonium inire valeat.

Nam iure divino statuitur matrimonium indissolubile, et quamvis in Veteri Testamento sub lege Mosaica per libellum repudii quandoque dissolvi poterat, in lege tamen Evangelica indissolubilitas urgetur, ita ut nulla potestate humana nullaque

de causa matrimonium dissolvi possit, sed quibusdam in casibus potestate divina. Quod est certum de Fide ex Conc: Trid: Sess. 24 et can. 5, 7 et can. J.C. 1118.

Ad normam tamen canonum J.C.: 1119 — 1120 "Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvi potest potestate divina Ecclesiae concessa et nomine Dei ministerialiter exercenda, quod fieri potest a) ipso iure per solemnem religiosam professionem. b) per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita."

Matrimonium legitimum infidelium, etiam consummatum, potest dissolvi iure divino, si uno ad Fidem converso, alter nolit cohabitare pacifice, vel sine contumelia Creatoris, iniuria aut spirituali damno fidelis. Quod est certum ex declaratione Innocentii P. III qui ita interpretatur sententiam Apostoli Pauli. Cfr. Can. J.C. 1120.

RESPONDEO AD SECUNDUM:

Unius testis depositionem de regula fidem non facere iam tradidit Lex Mosaica (Deut: XIX, 15) et recurrit apud Matth: XVIII, apud Joannem VIII, 17, et apud Paulum II Corinth: XIII. Id expresse erat statutum lege Romana, passim autem iure Decretalium. Rationes autem, cur plena fides debeatur saltem duobus contestibus iuxta regulam per se et ordinarie certo modo non verificantur in uno teste etiam classico. Regula tamen intelligenda est de depositione unius testis, praescindendo ab aliis adminisculis et indiciis, quae utique in particulari casu talia esse possunt ut simul sumpta cum tali depositione veritatis facti certo moraliter evincatur. Unde sponte seu ex diverso, in foro Ecclesiastico enatum est principium "dictum unius, dictum nullius" seu "testi uno nulla fides" et cetera hujusmodi.

Ista tamen principia nimis rigide intelligi non debent, ne irripat absurdum computationis arithmeticae in ponderandis probationibus a suo scopulo non sufficienter nec omnes fuerunt immunes pragmatici utriusque fori. Haec autem iuris praescriptio directe refertur ad probationem iudicalem; in iudicio autem non est damnandus reus sine plena probatione "actore non probante, reus absolvitur". Ita Can. J.C. 1791: "Unius testis

depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis". Ita ex. gr. ad probandum statum liberum partis contrahentis matrimonium, praeter interrogationes sponsorum, alii investigandi modi adhibendi sunt pro opportunitate, ad tramites canonum J.C. 1020 par: 3 et 1023 par: 2, non exclusa iurata testium de libertate status nupturientium, de qua fit mentio in Decreto Commissionis Pontificiae 23 Junii 1918 coll. can. 1031 p. I n. 1. Ergo defectu duorum testium, potest sufficere testimonium unius testis dummodo ille testis determinatis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis gravibus adminisculis fulciatur. Hinc unus testis fide dignus sufficit ut parochus "in ordinariis adiunctis" matrimonium impediat, licet comparere nolit, ut constat ex declaratione Alexandri III c. 13. Cfr. Gasparri: "De Sponsalibus" et Wernz: L. c. N. 144.

In casu nostro uti enarrato certum est attestationem Camilli, etsi viri timorati et fide digni, non facere plenam certitudinem, quod oritur ex supra dictis, sed sufficere ad ingerendum dubium positivum circa quoddam impedimentum dirimens et indispensable. Parochus "in ordinariis adiunctis", nequit procedere ad matrimonium, inconsulto Ordinario.

RESPONDEO AD TERTIUM:

Respondeo negative. Nam si per "benedictionem nuptialem" intelligitur tantum sacra caeremonia benedictionis, quae in Rituali Romano praescribitur, cum ista caeremonia ad valorem contractus matrimonialis non requiratur, nulla utilitas aderit in tali dissimulatione; si autem "benedictio nuptialis" intelligenda est "adsistentia activa Parochi" quae adsistentia, cum sit pars essentialis formae celebrationis matrimonii, afficit valorem contractus matrimonialis, nobis videtur talis dissimulatio esse graviter illicita quia induceret in errorem in re valde gravi ipsos ministros Sacramenti, et sponso exponeret periculo vivendi in concubinato. Ceterum in praxi ista dissimulatio vix fieri potest quin sit vera simulatio, quae in omni casu, cum sit vere mendacium, esset graviter illicita, insciis partibus contrahentibus.

RESPONDEO AD QUARTUM:

Nobis videtur Joannes Parochus imprudenter egisse "in istis extraordinariis rerum adiunctis". Celebratio enim matrimonii

haberi potest uti iam moraliter "in actu". Nam Titius et Sempronia, sponsi, iam ad altare sistunt, expectantes Parochum qui iam iam accedebat, stola indutus. Adest enim alia via procedendi in hoc casu tam particulari, tum ne exponeretur Sacramentum periculo nullitatis, tum ne exponerentur sponsi gravibus damnis quae necessario sequerentur ex modo agendi Parochi, uti dictum est in narratione casus: "magna commotio evenit in Ecclesia". Ceterum celatio impedimenti ligaminis ex parte Titii sponsi, constituit grave crimen et ideo Titius sponsus, saltem coram sponsa, exponeretur certo periculo gravis infamiae ob delictum quod adhuc habetur tantum uti dubium. Praeterea praesumendum est Titium in possessione fuisse cujusdam authentici documenti Curiae Ordinarii loci, ubi matrimonium celebratur, attestantis ejus statum liberum, quod evidenter sponsus obtinuit post peractas omnes proclamationes immo etiam investigaciones rite peractas ad normam Iuris et Instructionum Sacrae Congregationis.

Ex alia parte, omnes Theologi et Canonistae docent licere conditionem honestam, quae non sit contra matrimonii substantiam, consensui apponere "ex gravissima causa" et consulto Ordinario, si adiri possit.

Quis ergo negare audeat non adfuisse in tali particulari casu, gravissimam causam ut matrimonium cum consensu conditionato de re licita, et quidem de praesenti, contrahi possit?

In his ergo rerum adiunctis nobis videtur Joannes Parochus diverso modo procedere debuisse. Debuit enim in primis caute et prudenter interrogare sponsum de isto dubio. Si ipse negat existentiam vinculi, Parochus certiozem sponsam faciat de isto dubio et si ipsa, nonobstante hoc dubio, velit contrahere matrimonium, ab ipso Parocho suadeatur ut consensum matrimonialem emittat conditionatum, nempe "nisi obsit impedimentum ligaminis ex parte sponsi"; eodem tempore Parochus moneat prudenter contrahentes, post celebrationem matrimonii, eos nondum actu veros conjuges esse vinculo matrimoniali, et usquedum purificetur conditio eos debere sese abstinere ab omnibus actibus conjugalibus, et si simul cohabitare velint, uti frater et soror vivant; statim ac peracta celebratione matrimonii, Parochus tenetur graviter onerata conscientia, quam citius rem deferre Ordinario loci ut procedatur uti in casibus matrimonialibus, quando dubium circa valorem matrimonii habetur post celebra-

tionem matrimonii. Iste modus procedendi in casu, uti nos opinamur, est valde aequus et prudens, ad hoc ut sponsi ex tam arduis angustiis educantur.

CASUS MORALIS SECUNDUS

Paulus Carolo confessario viginti libellas anglicas quas Petro furatus erat, domino restituendas dedit. Carolus pecuniam cum aequali pecunia propria in scrinio clausit. Sed cum cras Petrum quaerere vellet, magno cum dolore advertit scrinium effractum esse et viginti sex libellas evanuisse. Putans Paulum adhuc restitutioni totali obnoxium esse, timuit cum de infelici eventu monere ne forte bonam fidem ejus frustra turbaret.

QUAERITUR:

Primo: An confessarius acceptans restitutionem pro poenitente facere, obligationem personalem erga dominum periculo suo in se assumat?

Secundo: Rectene indicavit Carolus Paulum adhuc restitutioni totali obnoxium esse? Quid si Carolus pecuniam restituendam cum pecunia propria non miscuisset; aut si pecunia negligentia sua periisset?

Tertio: Quando non est turbanda bona fides poenitentis?

Quarto: Ad quid teneri potest confessarius qui cum damno tertii monitionem omittit?

RESPONDEO AD PRIMUM:

Confessarius acceptans restitutionem facere pro poenitente haberi potest, iuxta aliquos, uti mandatarius, aut iuxta alios uti negotii gestor ipsius domini creditoris. In utroque casu confessarius tenetur, onerata sua conscientia, diligenter et utiliter gerere ac veluti propria negotia sibi commissa. Hinc tenetur in gestione de commissis et de damnis ex negligentia theologice culpabili inde secutis. Diximus "ex negligentia theologice culpabili" quia secus nullus confessarius assumeret tantam obligationem, quod redundaret in praeiudicium boni communis. Ita omnes.

RESPONDEO AD SECUNDUM:

(i) Non satis recte iudicavit Carolus confessarius. Nam non omnes theologi idem sentiunt in hoc casu. Multi enim probabiliter censent a nova restitutione immunem esse poenitentem, qui pecuniam restituendam confessario tradidit, apud quem casu vel culpa tertii pecunia periit. Nam confessarius uti nuntius ex praesumpto creditoris electus haberi potest cum saepe restitutio alia via tuto fieri non possit absque infamiae periculo, et aliunde confessarius sit ex officio nuntius fide dignus. Unde in praxi, qui hoc modo restituit, ad novam restitutionem non est cogendus, iuxta principium "non est imponenda obligatio restituendi nisi de ea certo constet." Ita Lessius, Tanqueray, Sporer, Tamburini et alii, et recenter Lemkhul, Noldin et plures moderni auctores. Qui vero tenent contrariam sententiam non loquuntur de solo confessario sed de quolibet homine fido. At facile quisque videt longe graviolem esse rationem si de solo confessario agimus, qui naturaliter ut persona intermedia constituitur, ac longe facilius ex voluntate creditoris praesumpta argumentum sumi posse, si solam inculpabilem rei amissionem respicimus.

(ii) Si Carolus pecuniam restituendam cum propria non miscuisset, et tota summa pecuniae restituendae periisset, Carolus uti patet ex responsione ad primum, ad nihil tenetur, quia res periit domino. In casu nostro in specie, cum Carolus ex libera propria voluntate pecuniam restituendam cum propria pecunia miscuisset, et ita se cum creditore unum dominum totius cumuli pecuniae moraliter se constituisset, tenetur restituere pro parte non ablata seu pro dimidia parte cumuli adhuc extantis quia res periit domino. Si vero ex negligentia theologice culpabili, et ideo saltem in confuso Carolus ablationem praeviderit, uti mandatarius seu nuntius confessarius teneretur ad restitutionem totius summae pecuniae sibi commissae. Et ratio patet ex dictis.

RESPONDEO AD TERTIUM:

Confessarius uti Doctor tenetur semper poenitentem docere ea omnia quae necessaria sunt ad validam Sacramenti susceptionem. Haec instructio fieri debet, quamvis poenitentis ignorantia sit invincibilis. Ordinarie tenetur quoque docere poenitentem ignorantem, sive communia praecepta christiana, sive particula-

ria status proprii. Nempe semper quando ignorantia sit vincibilis; e.g. si poenitens confessarium ea de re interroget. Quando vero ignorantia est invincibilis seu poenitens est in bona fide, tunc solum debet poenitentem monere, cum ex monitione fructus speratur; speratur autem, non solum quando monitio certo praevideatur non obfutura, verum etiam quando negative tantum dubitatur, num obfutura vel profutura sit, vel probabilius profutura quam obfutura. Facienda est monitio, quando poenitens licet initio reluctaturus, brevi tamen obsecuturus praevideatur; quando ignorantia versatur circa conclusiones proximas primorum principiorum juris naturalis, vel circa obligationes deserendi occasionem proximam gravis peccati formalis, quando ex silentio confessarii oriretur damnum spirituale Communitatis. Omittenda est monitio de restitutione facienda, si confessarius praevidet poenitentem qui in bona fide est, non esse obtemperatum, vel si prudenter timetur ex obtemperacione scandala, lites, aliave gravia inconvenientia oritura esse. Ita communiter.

RESPONDEO AD QUARTUM:

Distinguendum est. Si confessarius 'positive' ex gravi culpa omittat monitionem cum damno tertii, affirmandum est; quia tunc confessarius est causa iniusta damni tertii. Diximus "positive" si ex. gr. confessarius interrogatus silet; si vero 'negative', seu non monendo poenitentem, quia non interrogatus, negandum est, quia confessarius non tenetur 'ex iustitia' damna temporalia impedire. Ita communiter.
